


P. l. 99



J. VII, 895.

~~III 449 9 V 17~~



15
O E X P L I C A T I O

ἑλεγκτικὴ

Evangeliū Domin. XXIII.

post Trinit.

P R A E S I D E

Dn,

JOHANNE GERHARDO

DOCTORE ET PROFESSORE

THEOLOGO

Suo

*Patrono, Praeceptore & Affine
honorando*

Ad disputandum proposita

à

M. WILHELMO LYSERO.

Ad diem II. Novemb.

ANNO M. DC. XVI.

J E N A E

Typis TOBIAE STEINMANNI.

EXIMIO VIRUM

Quem

VIRTUS, PIETAS, DOCTRINA
SUPRA INVIDIAM COLLOCAVIT
DOMINUM

BALTHASAREM MENZERUM

INCOMPARABLEM THEOLOGUM

In GIESSEN A incluta

PROFESSOREM CELEBERRIMUM
MEUM

PRÆCEPTOREM VENERANDUM
MEC OE NATEM HONORANDUM
AFFINEM SUSPICIENDUM

Harum pagellarum

Censorem Patronum

exopto

M. Wilhelmus Lyserus.

EVANGELIUM

DOMINICA XXIII. POST
TRINITATIS.

THESIS I.



Belli inter serpentem & mulieris semen in Paradiso prædicti *Genes. 3, 15.* præludium militare in præsentem Evangelio cernimus, cujus prior pars serpentem mordentem in Pharisaico Concilio: Posterior semen conterens, & Leonem de tribu Juda, *Apoc. 5, 5.* vincentem in Hierosolymitano Colloquio exhibet.

I. Pars, DE CONCILIO PHARISAICO.

- II. Concilii & forma & decreta consideranda, illa consistit in
descriptione circumstantiarum, 1. *Temporis.* 2. *Assessorum.* 3. *Modi.* 4. *Finis.*
- III. *Tempus* insinuatur particula *τότε*, quæ notat, 1. *connexionem* cum parabola de nuptiis, quam solus *Matthæus* recitat, 2. *occasionem*, quia per tres parabolas, de filiis missis in vineam, de vinea locata agricolis, de invitatis ad nuptias, puncti & offensi Pharisei fuerant *Matth. 21, 45. Marc. 12, 12. Luc. 20, 19.* 3. *Tempus: præcedens*, præcesserat Christi admonitio: *præsens*, in quo adesse debebat Phariseorum conversio: *consequens*, futura erat post triduum Christi passio: velitatio hæc futuri prælii inter Christum & Satanam, ab eo vincendum, erat prælagium.
- IV. *Assessores* ex *statu Ecclesiastico* Principes Sacerdotum; *Scribæ.* *Luc. 20, 19, 20.* quibus junguntur ex *statu Politico* Seniores populi, *Matth. 21, 23. Pharisei* à *Matth.* dicuntur, vel quia nomine *Scribarum* antea fuerint intelligendi. Confer. *Matth. 21, 45. Luc. 20, 19.* vel quia præcipui ex illis tribus classibus fuerint Pharisei. Ideo tum ob hanc causam, tum quod maxime Domino infensi, tum



quod negativam quæstionis propositæ tuerentur (Vid. Ios. l. 18. antiq. c. 1. & 2. Euseb. l. 1. c. 5. Hieron. in c. 22. Matth.) eorum tantum fit mentio.

3. *Modus.* V. Ad modum pertinent 1. *Occultatio*, discedunt à Christo, mali quippe oderunt lucem Iohan. 3, 30. 2. *Consultatio*, *συμβόλιον* est consilium, quod aliqui simul dant, notatur ergò ordine vota collecta fuisse & quemlibet sententiam suam protulisse.

4. *Finis.* VI. *Finis ultimus & principalis* à Luca notatur, noluerunt turbulento impetu Christum tollere, sed tradere Principatui & potestati Præsidis, ut ab eo per contumeliam condemnatus necaretur.

παιδέυει. *Finis proximus & intermedius* ὅπως παιδέυσαι ut illaquearent. *παιδεις* sunt laquei qui ad capiendum invenationibus figuntur *Erasm. & Camerar.* Marcus paululū mutatā similitudine *ἵνα ἀγρέυσαι* ut venando caperent. Confer. Psal. 22, 17. ut & ejusdem inscriptionem. *Medium* quo irretire volunt est sermo *λόγος*, qui potest referri ad orationem, vel insidiatorum, vel Christi, (sperabant enim, fore ut responsione sese in laqueos involveret) vel utramq;

Materia. lisdem verbis notatur *Materia*, de qua in hoc Concilio actum, videlicet de modo Christum capiendi ὅπως enim verti potest, vel ut, vel quomodo.

II. *Concilii decreta eorundemq; executio.* VII. *Decreta Concilii ex executione eorundem patent, quæ legatorum missione & instructione absolvitur.* Illa continet *Antagonistarum mutationem & denominationē.* I. In denominatione *Lucas* in genere eos *insidiatores, qui se justos simularent, vocat, Matth & Marc.* Subdividunt in *discipulos*, quos Marcus dicit fuisse quosdam ex *Phariseis.* Quales hi fuerint *Auth. op. imperf. in Matth. Hom. 42. graphicè depingit.* II. Et *Herodianos*, quos capitales aliàs suos hostes contra Christum in societatem recipiunt.

Legati qui. VIII. *Herodiani, quorum h. l. & Marc. 3, 6. mentio fit, qui fuerint, valde ambiguum.* I. *Pomerius Pelbar. de Themes. VVar. Domin. 22. post Pentec. ait fuisse milites Herodis, non abhorrent ab hac sententiâ, Hieron. Chrysof. Euthym. Anselm. super h. l.* Sed 1. quæ commixtio *Pharisaicorū discipulorū cum armatis* 2. *Facilè colligere potuissent, Christum subodaraturū fraudē si seditiosam quæstionē cum armatis movissent.* 3. *Nolebant terrere sed blanditiis elicere aliquid contra Cæsarē.* 4. *Milites pro more scriptura appellasset, P. pin. super hoc Evangel. pro defensione discipulorum eos assumptos putat. Sed 1. quid*

De Herodiani diversa sententia. I.

quid

quid periculi potuisset imminere à turba iis, qui tam blande cum Christo agunt? 2. nec quando alias quæstiones ipsi Pharisei proponunt, præsidium armatorum secum adducunt. II. *Dionys. Carthus. super h. l. per contemptum à Phariseis Herodianos appellatos censet esse eos, qui tributum Romanis solverent, non dissentit Origen. in Tr. 21. Matth. Hieron. T. 9. in cap. 22. Matth. sed 1. potius Romani, vel Casariani forent dicendi, 2. omnes Judæi solvebant censum ergo omnes ita appellandi. III. Quidam putant fuisse Sadduceos, ex collatione Matth. 16, 6. & Marc. 8, 15. sed Matth. 22, 23. Luc. 20, 27. ab invicem distingvuntur. IV. *Beust. adversarios Romanorum, Herodem M. peregrino Magistratui præferentes, & à Iosepho Zelotas ob studium libertatis dictos eos fuisse putat, sed Herodes M. favebat Romanis, 1. cur ergo à fautore Romanorum Herode M. adversarii eorundem appellarentur? 2. cur Pharisei & ipsi libertatis assertores Euseb. l. 1. cap. 5. hos ὄνομαζοντες assumfissent? 3. Imò Herodes M. hoc tempore mortuus erat. V. Eusebius Emisenus asserente Barrad. T. 3. concord. Evangel. l. 8. c. 12. Stapleto: in Prompt. Moral. Domin. XXII. post Pentec. text. 2. ministros Herodis, qui tributa colligebant, ita appellatos fuisse statuunt. Sed non verisimile exactores tributorum fuisse. 1. Fraus enim apparuisset. 2. quid Herodis exactores Hierosolymis agerent in ditione Pilati? 3. ex quo etiam Historico probabit Stapletonus, quod tam audacter asserit. Herodem à Tiberio huic (Hierosolymis solvendo de quo in Evangelio agit) tributo colligendo præfectum fuisse? distinctæ ditiones Herodis & Pilati id non admittunt Luc. 23, 7. VI. Quidam fuisse eos qui Herodem (non Agrippam percussam ab Angelo, ut Philastrius Brixienfis vult, nondum enim is rex erat, sed Magnum licet mortuum, ejusmodi enim Sodalitates etiam post mortem durasse asserit Casaub. Exerc. 1. ad Annal. Baron. num. V.) pro Messia colerent, quia Prophetia, Genes. 49. Dan. 9. impleta (non ut Baronius vult, quia Rex Herodes extraneus fuerit: nec enim Herodes alienigena fuit, nec si fuisset, pro Messia cum Iudæi habuissent, vid. Casaub. Exerc. 1. contra Baron.) de quibus Epiphan. T. 1. l. 1. hæres. 20. Damascen. de hæres. Author Lexici Baal Aruk. citante Druso Præterit. l. 1. In qua sententia sunt Theoph. in Matth. & Marc. super h. l. Tertull. de præscript. advers. hereticos sub finem. Eges. l. 6. de excid. Hierosol. Euthym. Matth. 12. Victor Antioch. Marc. 12. Et licet Hieron. ridiculam eam vocet sententiam in cap. 22. Matth. Idem tamen advers. Lucifer. c. 8. eam approbat: sane pe-**

II.

III.

IV.

V.

VI.



ne peculiarem religionem Herodis fuisse patet ex Marc. 8, 15. VII. Quidam putant fuisse aulicos Herodis, qui id temporis Hierosolymis erat Luc. 23, 7. ut Evangelium Hebræum à Mercero editum. Syrus habet apud Matth. & Marc. *בְּיָרְדֵי הַיַּרְדֵּי* domesticos Herodis, approbant hanc sententiam ex nostris: Lutherus, Chemnitius, Hunnius &c. ex Pontificiis Barrad. Brugen. Salmeron, ex Calvinianis Beza, Gualterus, Piscator. Quæ etiam sententia simplicissima est, nec penultima Patrum contraria, cum vero simile Herodem vel maxime sectarios eosdem & caros habuisse & promovisse. VIII. Pelbartus ait: Herodes glorians interpretatur, & significat Luciferum superbum, & ejus milites Dæmones vitiorum, isti consulunt, quomodo animam decipiunt. Sed hæc allegoria, 1. nimis cruda & dura, 2. est longe petita, 3. principalibus partibus Evangelii contraria, Herodes enim in hoc Concilium non venerat.

Legatorum instructio.

IX. Instructionem monstrat verbum *λέγοντες*, quod primi non quarti casus, refertur ad Phariseos non ad discipulos, unde intelliguntur ea, quæ sequuntur, verba à Phariseis Præceptoribus præscripta fuisse discipulis, ita ut tam discipuli quam per eos Præceptores ipsi locuti fuerint. Est eorum oratio bimembris 1. astuta benevolentie captatio, 2. Insidiosa questio.

Quid sit viam Dei in veritate docere.

X. In captatione benevolentie laudant 1. ab officii dignitate, quia Magister, 2. à veritate, juxta Lyram, triplici, 1. Vita, scimus quod verax sis. II. à veritate doctrinæ viam Dei doces in veritate. Via Dei est via Deo grata & per quam ad Deum pervenitur, vera colendi Dei ratio, vera legis divinæ interpretatio. Eam in veritate docere est 1. liberè & apertè, 2. sine errore vel furo docere, 3. ad docendum non nisi sola veritate moveri. Viâ Naturæ corruptè docuerunt Philosophi viam Diaboli hæretici: viam Dei sed in figura Moses, solus Christus viam Dei in veritate docuit Iohan. 1, 18. 3, 31. III. à veritate

Neminem curare quid

justitiæ, & μέλει σοι *οὐκ ἔστιν* advertente Erasmo, potest referri & ad hominem & ad rem, quanquam quod sequitur ad hominem referendum esse magis indicat, quod alii verum reticerent, ne quosdam offenderent. Syrus, non accipis curam propter hominem, id est, non labores sollicitè cujusquam hominis causa, cum veritatem liberè enuncies. Non intellexit phrasin hanc Pepin. super hoc Evang. ideoq; mendacii hos Legatos acculat: cum Christo sit cura de o-

ἀπροσωπία.

mnib⁹. Postrema laudis causam addunt ἀπροσωποληψίαν & βλέπεις εἰς πρόσωπον, Πρόσωπον & faciem & personam significat, posterius est

est accommodatius, licet prius **דַּבָּר** Hebræo conveniat: intelligitur verò nomine **ὑποσώπις** omnis externa qualitas, quæ ad statum causæ non pertinet; *intueri in faciem*, est considerare externam aliquam conditionem, & secundum illam; non autem secundum causæ merita judicare. Omnia eo directâ ne Cæsar's potentia moveatur, sed solitam **ὑποσώπις** servet. Nec hanc phrasin *Pepin* intellexit, sed explicat ita, *quod Christo denegarint omnium hominum notitiam*: sed ipsa phrasin, coherentia cum præcedentibus, & intentio horum oratorum, hanc explanationem horum verborum non admittunt. *Oser. l. d.* statuit hosce ex ignorantia *divinos Christo honores tribuisse*, cum solus Deus. 1. sit verax *Rom. 3. 4.* 2. viam salutis docere possit & doceat, *Psal 25, 4.* 3. sit ἀποστολοποιήτης *Deut. 10, 7.*

Modus quæstionē proponendi.

XI. De quæstione notetur *modus proponendi & quæsitum*. Ad modum pertinet 1. quod dicunt **τί σοι δικάει**, non dicunt, scribit *Chrysost. Hom. 71. in Matthæum dicas nobis, quid bonum sit, quid laudabile, quid legitimum, sed quid tibi videtur, sic illud solum fuit ipsis propositum, quomodo præsentis principatus hostem ostenderent. Cost in conc. Domin. XXII. post Pentec.* omnium hæreticorum verbum statuit esse, quid tibi videtur? Sed nec solorum est *Matth. 18, 12. 22, 24.* nec omnium: æquè enim hæreticus est, qui seposito Christi verbo in alterius hominis decreta jurat, quàm qui suam opinionem sequitur. 2. Quod quærunt, *non de utilitate*, quasi pecuniæ jacturam tanti non facerent: *nec de jure humano*, debebant enim reddere ob juratam fidelitatem, ob domini recognitionem, ob pactum quia ipsis concessa **ἀπονομία**, ob æquitatem quia Romani pacem conservabant: *sed de jure divino*: an salva conscientia id facere possint.

XII. In quæstio continetur & *objectum de quo quæritur, & rationes Censuræ tres pro negante sententia.* *Objectum κίνσος* Latina vox est & *notante Casaub. Exer. 16. ad Ann. Baron. N. 6.* significat 1. æstimationem bonorum per censes & postea per censitores in provinciis factam. 2. cum pensitationis præstandæ modus percensum fieret, in provinciis ipsum tributum appellatum fuit census, 3. denique ipsa bona quæ censebantur, & pro quibus tributum solvebatur, census dicta fuerunt. Græci Grammatici ut *Suidas, Hesychius, Moschopulus* cum proprietatem hujus vocis non intelligerent, pro peculiari genere monetæ acceperunt. Qualis & quantus hic census fuerit, numq; peculiaris nummus censualis postea audiemus.

XIII. Tres



Rationes
quod census
non sit dare-
mus.

XIII. Tres rationes pro negante sententia occultantur. 1. petitur ab
iis qui quarunt: Dic NOBIS. Lucas emphaticè, licetne NOBIS dare, cum
simus populus Dei, cui libertas promissa Auth. op. Imperf. Hom. 42. in Matth.
non est justum, ut servi summi Regis terrenis regibus serviamus. Si enim in-
dignum est, ut duobus Regibus homo alterius alteri obsequatur & injuriam
faciat suo, si subjacet alieno: quanto magis indignum est ut cultores Dei
humanarum potestatum gravamina cognoscamus. 2. latet in voce ἕξις,
quasi hic census sit illicitus & in lege prohibitus. Salmeron. T. 8.
Tract. 59. censet fuisse prohibitum Deut. 23. cum LXX. habeant, non erit
τελεσθεος de filiabus Israël, quæ verba postea fortè expuncta per Rabinos
fuerint. Sed 1. fontes Hebræos non esse corruptos alibi à nostris
probatum. 2. & nihil versiculus 28. habet, quod non vel 17. vel 19.
contineatur, 3. nec quicquam falsa lectio Tertulliani de pudicit. c. 9.
(legit enim τελεσθεος & ἀπὸ ἡμῶν cum extet ἀπὸ θυγατέρων sc.
ex impudicitia, ut ipse Barradius Tom. 3. Concord. Evangel. l. 8. c. 12.
observat) licet ab Hieron. Tom. 3. Epist. 147. non animadversa eum
juvabit: plane aliam ejusdem versiculi explicationem vid. apud
Theodoret. in Deut. q. 28. Pleriq; interpretes huc referunt dimidium
siclum quem quotannis ad conservationem templi pendendum Deus Exod. 30.
instituit. (Trem in not. ad Matth. 17, 24. mandatum illud temporarium,
ad extructionem tabernaculi fuisse asserit) quiq; postmodum à
regibus Asiaticis & Romanis in fiscum imperialem translatus.
3. continetur in appellatione Caesaris (quod nomen hoc loco ut Hieron.
in cap. 22. Matth. animadvertit, non est proprium sed appellativum,
cum Tiberius non autem C. Julius eo tempore rerum fuerit potitus)
an Caesari extraneo Magistratui tributum pendendum, cum prohi-
bitum sit Deut. 17, 15. extraneum regem constituere.

XIV. Nihil ergò magis in votis habebant, quàm ut Chri-
stus in negantem concederet sententiam: hinc ipsi negativam
addunt ἕξις ἢ οὐκ, licet aut non; & apud Marcum δῶμεν ἢ μὴ δῶμεν,
quibus verbis tum captiosè prohibitionem elicere, tum respon-
sionem urgere volunt: hoc sperant Luc. 20, 20. & falsò asserunt
Luc. 23. non tamen Barradio assentimur, qui tantum negativam eos
elicere voluisse asserit, si enim affirmasset 1. accusassent ut patriæ
libertatis proditorem, 2. calumniati essent ut adulatorem, 3. ne-
gassent eum esse Messiam, quia ab hoc libertatem sperabant. 4.
putassent populum indignantem non impediturum, quo minùs
ipsi

ipsi Pharisei eum invaderent. Nonnulli ita exponunt: *Sceptrum ex-act oris confringet Messias: Esa. 9, 4. Si tu verus Messias prohibebis dare tributam, Quæ sententia in se quidem sana, sed non horum hypocritarum alias & ipsi in laudatione sua κολακευτικῇ non omisissent.*

QVÆSTIONES EX HAC

P A R T E.

Q. I. An Concilia errare possint? Errare posse Concilia (excipimus Apostolicū Act. 15. tum quia Spir. S. summus præses, tum quia assessores Apostoli immediato Spiritus S. afflatu gaudebant) pleraq; etiam errasse contra Romanenses ex præsentate asserimus Evangelio. Concilium hic fuisse, nec summi Pontificis approbationem defuisse, is concedet, qui & thesin 4. & odium summi Pontificis adversus Christum in aliis elucens conciliis Iohan. 9, 27. Iohan. 11, 53. Marc. 14, 64. perpenderit Formam hujus Concilii late depingit Pepin. in par. æstival. conc. Dom. XXIII. post Trin. Excipere quis posset cum Bellarmino Tom. 2. cont. 1. Lib. 2. c. 6. à Synagoga V. T. ad Ecclesiam N. T. certiores promissiones habentem Matth. 16, 18. Luc. 22, 1. Tim. 3, 15. non valere consequentiam. Resp. 1. illa illustres admodum promissiones habuit. I. de pacto perpetuo Genes. 17, 7. II. de peculiari præsentia Dei & alligatione Ecclesiæ ad hunc populum. Deut. 32, 9. Psal. 132. 13. 14. 135, 4. III. de Messia egressu ex hoc populo, IV. Adde ornamenta illustria, qualia fuerunt arca, Sacerdotium, V. deniq; & prærogativas complures, ex quibus contrarium colligit Paulus Rom. 11, 21. 2. promissiones Matth. 16. & 1. Tim. 3. etiam ad V. T. pertinent. 3. etsi concedatur aliqua prærogativa Ecclesiæ N. T. non tamen sequitur, eam errare non posse. 4. Promissiones illæ cum conditione accipiendæ, si vocem Christi audierit. Instas ex c. 8. ejusdem lib. sicut Vicarius Papa Papa præsentate potest errare: Ita Pontifices Iudaorum Christo summo Pontifice præsentate errare potuerunt. Resp. 1. sufficit, legitimum Concilium (affuerunt omnia necessaria ad Pontificium Concilium requisita) errasse. 2. num Christi præsentia in terris naturam Concilii mutavit, ut sic in Christum culpa conjicienda sit, 3. contradicit reliquis Pontificiis, qui ex eo, quod Caiphas prophetavit, concludunt, etiam impium Papam errare non posse, 4. Deniq; aut aliud constituat sacerdotium & Aaronicum sacerdotium ante Christi

B

mortem

mortem desiisse statuat, aut concedat Concilium sacerdotum legitimum errasse. Firma ergo perstat nostra Thesis & Concilium sacerdotum errare posse (Esa. 56, 10. Ier. 6, 13. 4, 9. Ezech. 7, 26. Mich. 3, 6. Ezech. 22, 25. 2. Pet. 2, 1. 2. Thess. 2, 4. Act. 20, 29. Matth. 24, 21. Qui Pseudodoctores etiamsi in Concilium congregentur, ex lupis pastores haud fient) & forte plura errasse, quam veritatem propagasse. Consule 1. Reg. 22. Ier. 26, 8. 1. Reg. 18. 2. Reg. 22. Concilium Carthagenense, Syrmienense, Seleuciense, Tyrium Antiochenum Ephesinum, &c.

II. An Lutherani Syncretismum colant cum Calvinianis contra Pontificios? Iniquè Staplet. in Prom. Mor. Dom. 22. post Pent. t. 2. de discipulis Johannis ex infirmitate non malitia errantibus asserit, quod eos Pharisæi contra Christum junxerit invidia, quos disjunxerat disciplina. Longè iniquius accusat nos Syncretismi cum Calvinianis contra Pontific. ibid. ut & in Prom. Cathol. Dom. XXII. post Pentec. t. 1. Ut clarius nostram proponamus sententiam, distingvimus inter pacem communem, unionem Politicam & Religionis syncretismum.

Pacem communem cum omnibus colimus, juxta monitum Pauli Rom. 12, 18. quia è mundo exire non possumus 2. Cor. 5, 10. ob hanc pacem non arbitramur nos à Stapletono reprehendi.

De unione Politica difficilior quæstio, an ea cum diversa religionis hominibus iniri possit? pro negantè sententia affertur: Deus ipse prohibet fœdus sancire cum Cananæis Exod. 23, 32. 34, 15. Deut. 7, 3. Josaphati unio cum Achabo reprehenditur 2. Paral. 19, 2. 2. Paral. 20, 37. ac malè cedit 2. Paral. 18, 31. uti etiam Assæ cum Benhadad 2. Paral. 16, 7. Amasiæ non permittitur Israëlitas in castris habere 2. Paral. 25, 7. Pro affirmante 1. Evangelium non tollere Politias, at hæc uniones esse merè Politicas constitutiones. 2. nec exempla deesse ejusmodi fœderum, ut Jacobi cum Labano Idolatra, Genes. 31, 44. nec Hiramum cum quo Salamoni fœdus 1. Reg. 5, 12. circumcisum fuisse probari poterit. Maccabæi Romani & Spartani quoque confœderati fuerunt, 1. Macc. 8, 17. 12, 1. 3. Testatur experientia, multa commoda quoq; ex ejusmodi fœderibus fuisse secuta. 4. Accedit consensus Theologorum ferè omnium, Nos ergo & huic subscribimus sententiæ hisce conditionibus. 1. ne ullum fidei hac in re creetur periculum. 2. ne accedat vel diffidentia contra Deum vel confidentia in homines. 3. ne defensio

defensio Ecclesiæ, quæ soli Deo propria fœderi ascribitur. 4. ut fœ-
dus ad defensionem & legitimam offensionem tantum dirigatur.
Ad has conditiones si contraria exempla fuerint examinata, (Ca-
nanæorum est planè extraordinarium & heterogeneum) facile
quid in iis erratum sit, deprehendetur. Sed & hic nihil præsidii in-
venire Stapletonum quivis videt: quin imò cum ipsis Pontificiis
in pacificatione Passaviensi nostrates tale inierunt pactum, quod
licet maximè displiceat Jesuitis, conspirationis tamen cōtra Chri-
stum nunquam jure accusabunt.

Religionis quidem Syncretismum expetunt quidam Calviniani.
In primis Paræus in Iren. c. 12. p. 66. nos quanto perè eum aversemur
vel sola. Form. Concordiæ sufficienter testari posset, Agnoscimus
enim eum 1. in sacris prohibitum, 2. Cor. 6, 14, 17. 2. graviter damna-
tum in Samaritanis ut & Apoc. 3, 15, 16. 3. Veræ fidei adversum quæ
una Ephes. 4, 5, 6. 4. in typi rejectum. Lev. 19, 19. Deut. 22, 9. 5. Pericu-
losum 1. Cor. 5, 6. 6. Exemplis totius Ecclesiæ contrarium.

At unde tandem probat, nos talem syncretismum fovere?
1. in Prompt. Cathol. ait Lutheranos & Calvinianos contra unam Catho-
licam Ecclesiam, ejusdemq; fidem sacrosanctam, antiquam, Apostolicam scri-
bere. Resp. 1. non sufficit acculatio, sed requiritur etiam proba-
tio. 2. Romanam verò Papisticam Ecclesiam & fidem, illam esse
de qua objectio loquitur, falsissimum. 3. idem quoq; & Samarita-
ni a Judæis & Ethnicis rejecti, imò quivis hæretici ab orthodoxis
pariter & aliis hæreticis refutati prætere possent. II. Pergit:
Cogimur in scriptis nostris pro fide orthodoxa modò Lutheranorum, modò
Calvinistarum argumenta solve, maledictis respondere, mendacia detegere.
Resp. 1. nos jure id de Pontificiis dicere possemus, quæ enim
ipse de maledictis & mendaciis Lutheranorum asserit, sunt male-
dicta & mendacia: scripta Pontificiorum pro fide orthodoxa esse,
æquè falsum, ac quod asserere audeat, se suosq; Lutheranorum ar-
gumenta solve. 2. Si ergò legitimè propositio informetur hoc
modo: Quicumq; duarum Religionum argumenta solve cona-
tur, is eas conspirationis contra Christum accusare potest, insuf-
ficientiam quivis videbit. III. In Prompt. Mor. asserit: talem fuisse
authorem Melanthonem Lutheranorum & Calvinianorum, ad breve licet tempus
Syncretismum, ut unanimiter Catholicos oppugnarent. Resp. 1. quod
ipse

ipse in *Prompt. Cath.* Calvino opponit, *dolosos semper versari in generalibus*, sibi dictum putet. 2. In *Comitiis Augustanis* ab ipso Philippo & Brentio talis Syncretismus fuit improbatus, frustra suadente eū Landgravio Hassiæ Philippo. 3. si ad *Concordiam VVitebergensem* respicit, cum Bucerus nomine Helvetiorum (qui tamen id statim revocarunt) nostræ sententiæ subscripserit, eam syncretismum talem, in quo Sectæ aliæ contrariæ ad veritatem oppugnandam conspirant, appellare nequit; cum nec tunc, saltem opinione nostrorum, nobis Helvetij contrarii; nec contra veritatem quicquā conclusum fuerit. 4. Philippum post Lutheri mortem humani aliquid passim agnoscimus, sub exitum tamen ex hac vita se Lutheri confessioni & doctrinæ immori velle testatum esse, referatur in *Epist. Dedic. par. 1. Loc. Theol. Chemn.*

Ut concludamus, quærimus ex Stapletono, an non potius talem Syncretismum sapiat. 1. quod Pontificii Judæos, Lutheranos verò minimè tolerare possunt. 2. quod sæpe pace cum Turca inita, Evangelicorum quæritur oppressio. 3. quod Pontificii & Calviniani in doctrina de majestate carnis Christi (reliquos articulos, theses enim scribimus, præterimus) ita amicè consentiunt, ut *Iesuitæ Ingolstadienses*, Theses eam impugnantes *Crypto Calvinistarum VVitebergensium* recudi & præfatione ornari curaverint. Qui ejusmodi Syncretismos Pontificiorum cum Calvinianis in doctrina, & utrorumq; cum Photinianis & aliis hæreticis, plures legere cupit, nostrorum Theologorum consulat scripta.

II. Pars, DE COLLOQUIO HIEROSOLYMITANO.

Collocutores. XV. In Colloquio personæ & res observandæ veniunt. Personæ audientes populus. *Luc. 20, 1.* Colloquentes, Legati Phariseorum de quibus *thes. 7.* & Salvator, qui describitur, quod sit *καεργάσιος*. (Prima virtus respondentis est interrogantium mentem cognoscere ait Hieron.) hinc cognovit Legatorum *πονηρίαν*. Πονηρία ut plurimum diabolicam & venenatam quondam malitiam notat, quæ summo studio agit ut obsit, & ipsâ malitiâ & læsione hominum mirificè delectatur. Ideo Diabolus dicitur *πονηρός*. Quandoq; non tantum malitiam sed & versutiam & astutiam significat, ut hoc loco, hinc *Marcus ὑπὸ πνεύματι, Lucas πονηρίαν* vocat.

XVI. *ibi*

XVI. In rebus occurrit τὸ πρῶτον & τὸ ἐνδὲν. τὸ πρῶτον τὸ ἀπαχθῆναι
in tres actus dispartitur. Primus continet propositionem & Christi increpationem;
Secundus inquisitionem; Tertius conclusionem Propositionem questionis vi-
dimus Th. 12. 13. 14. In increpatione respondet Christus ad mentem *Christi in-*
non ad verba, & describit eorum personam, quod sint Hypocritæ qui *crepatio.*
aliud dicunt, aliud sentiunt, & intentionem quod eum tentent,
h. e. explorare & experiri velint, numquid dicturus sit quod in ca-
lumniam rapi possit.

XVII. Hypocritico animo detecto Christus declinare po- *Moneta in-*
tuitur responsionem, sed pergit ad Inquisitionem, quæ continet mo- *spectio.*
neta inspectionem & descriptionem: In illa occurrit Christus poscens &
Antagonista exhibens. Christus poscit sibi exhiberi numisma census.
Marcus in specie denarium petiisse ait, ubi nulla pugna sed alter
verba alter paraphrasin verborum Christi habet, Lucas per com- *An peculia-*
pendium inspectionem cum descriptione jungit. Baron. ad Ann. *ris nummus*
Chr. 34. num. 10. eumq; secutus Brugensis in cap. Matth. 22. Salmeron. *cenfualis.*
Tom. 8. Trac. 59. hinc colligere volunt certum denarium censualem cu-
sum fuisse, quod Barrad. T. 3. comm. in Concord. Evang. Lib. 8. c. 12. non
approbare vult; nec putat ex Aelio Lampridio, quem illi citant, pro-
bari posse. Rationem addit Casaub. Exerc. 16. Num. 66. quod Lam-
pridius loquatur de Alexandri (longe post Tiberium) Imperato-
ris peculiari facto, quod temere huc referendum non est. Intelli-
gitur ergo quævis pecunia per quam census Romanis solveba-
tur, sed cum triplex juxta quosdam (Judaica, vicinorum, Romano-
rum) pecunia apud Judæos in usu, proculdubio census Romana
pecunia fuit persolvendus.

XVIII. Antagonista exhibent Christo denarium. De denario (qui *Quomodo*
non aureus sed argenteus hic intelligendus est: Romani enim *denarius*
solebant gentibus in tributum argentum imperitare non aurum *hic numis-*
teste Plin. l. 33. c. 3.) precedente disputatione fusius actum fuit. Hic *ma census.*
quæritur, quomodo denarius fuerit numisma census, cum ex Matth. 17, 24.
pateat tributum Romanis debitum fuisse didrachmum, h. e. duas
drachmas? Diversæ hic se offerunt sententiæ. I. De illis qui pecu-
liare genus numismatis denarium hunc fuisse putant preced. thesi actum.
II. Nonnulli respondent tributum istud fuisse persolvendum duo-
bus denariis, qui secundum Budæum æquivalent duabus drachmis,
ut ita pars tributi fuerit non totum tributum. Barrad. l. d. III, Alii inter de-

*denarios distinguunt Ar. Mont. citante Bragens. in Matth. 18, 28. quorum
 alii minores, Ponderis 96. granorum hordei, alii majores dimidium
 siclum valentes: Hos Fr. Jun. in h. l. denarios sanctuarii vocat, duabus
 vulgaribus equivalentes, h. e. didrachmum. Nam Publicani per vulgares
 denarios numerabant, Sacerdotes per duplares, h. e. didrachmum. Sed nec
 hæ duæ sententiæ satisfacere possunt, cum Robert. Senalis in lib. de
 nummis & ponderibus, probet denarium pluris valuisse quàm dra-
 chmam, & drachmam quidem fuisse octavam uncie partem de-
 narium verò septimam (Econtrario Beza super h. l. asserit, quod dra-
 chma septimam parte superet denarium) quin Jun. ipse sibi contra-
 dicit, ad Matth. 18, 28. denarium majorem æquivaluisse sex denariis asse-
 rens. Ideoque IV. quidam diversa tributorum genera constituunt,
 & denarium solum fuisse Romanis in tributum pro ratione cen-
 sus drachmam templo viritim putant. Beza in not. ad h. l. non dis-
 sentit Salmer. addit tamen & hoc modo solvi posse, quod Principes
 interdum majorem censum, interdum minorem exigent. Casaub. l. d. di-
 stinguunt inter tributum, quod pendebatur pro modo agri, quem quisq; posside-
 ret, & aliorum bonorum; & capitationem, quæ capitibus singulorum subdi-
 torum aliquando imponebatur & genus fuit exactiōis gravissimæ. De prio-
 re hic agitur (Syrus de posteriore hunc locum accipere videtur
 דִּינָרָא דְכֶסֶף רִישָׁא denarium argenti capitationis appellans)
 de posteriore Luc. 1. Ab utroq; distinctum fuit, quod templo in-
 ferebatur, videlicet (juxta Casaubonum Exerc. 15. Num. 19. didra-
 chmum de quo Matth. 17, 24. Postremarum harum sententiarum,
 si una valere deberet, male locus Exod. 30. huc accommodatur.*

*Moneta des-
 scripta.*

XIX. Inspectionem Monetae sequitur, ejus descriptio, ubi occurrit
 Christi quæstio, instituta non propterea quod ignoraret, sed ut
 ex confessione confusio major oriretur. 2. se cœlestia non terre-
 na tractare ostenderet. 3. Ministros idem ut facerent, doceret.
 Antagonistarum responsio. Imaginem & Supercriptionem Cæsaris
 esse.

*Unde Chri-
 stus decisio-
 nē inferat.*

XX. Illativè ex hac responsione Christus educit decisionem bi-
 membrem. Unde verò hæc illatio vim habeat, ambiguum, cum alienæ
 monetae etiam apud populos usus sit. 1. Quidam ex ipso censu sequi
 volunt h. p. quia cogimini censum dare, ideo meritò subjecti estis:
 II. sed quæstio erat de censu, 2. alii statuunt, in numismate Principes
 Romanos se denominasse à provinciis subjugatis, Parthicos, Asiaticos, Sy-
 riacos,

riacos, sicq; Christum collegisse quòd propter peccata Dei volun-
tate in Romanorum potestatem venerint, & magistratui subje-
ctionem debeant. Sed aut hiulca Sp. S. erit narratio; aut ex iis,
quæ scripta sunt, consequentia demonstranda 3. Nonnulli putant,
olim non fuisse permiffum, ut alterius cujusdam Principis moneta inferretur
in eam regionem, quæ ipsius dominio non esset subjecta; in contractibus au-
tem rudem argenti aut auri massam fuisse à peregrinis usurpam,
cum jus cudendi monetam pertineat ad regalia, & in signum li-
bertatis Simoni concessum fuerit, 1. Macc. 15, 6. Quod si prius il-
lud ex probatis demonstraretur Historicis, res esset plana: ex jure
verò cudendi monetam prius non sequitur, cum & hodie id per-
tineat ad regalia, neq; tamen externæ monetæ usus ubiq; prohi-
bitus. Hinc 4. distinguunt aliqui inter monetæ usum liberum & necessa-
rium, cum enim non nisi Romana pecunia persolvendus esset cen-
sus, Cæsaris, qui monetæ formam & valorem præscribebat, im-
perium inde elucebat.

III.

IV. X

XXI. Duplex verò regnum, Christus in decisione instituit, *In regno*
terrenum unum cæleste alterum, in utroq; nota, cui, quomodo, quid dan- *terreno.*
dam: Interreno. 1. Cui datur? Cæsari, quo nomine Hieronymus Tibe- *Cui.*
rium, qui tunc rerum potiebatur, alii quemvis magistratum, ex
1. Pet. 2, 13. intelligunt, (ridiculam derivationem affert Pelbart.
Cæsar secundum Cathol. à cædendo dicitur, quod fortiter cedit homines in
bello; sic Diabolus fortiter & crudeliter cedit, occidendo animas) Erasmus
annot. Deo bis additū articulū, Cæsari nequaquā, tanquā Cæsare velut in-
certū & ignotū nominet, cum multi sint ejus nominis. Deum veluti certū de-
signet: alii putant, hoc factū honoris causa Deo præ Cæsare debi-
ti. Preponitur Cæsari 1. quia de illo mota quæstio, 2. quia proximo
dandū quod suum est, antequā Deus accipiat à nobis quod suū est
Matth. 5, 24. Addit Coster. in conc. super Dom. 20. post Pentec. duas cau-
sas. 1. quod qui ex corde Deo servire vult, primò mundū relinquere debeat,
2. quod Princeps mundi in inferno, suos prius accepturus sit, & ita Christus,
suos etiam in cælo. De Parabolis ipsis vid. Theol. 23. Hic nota: Parabolas
esse consequens sensus literalis proinde ordinis rationem à priori
haud reddere. II. Quomodo? non dicit dandū ut quærebant, sed *Quomodo.*
reddendum tanquam quæ ab illo acceperunt. Syrus simpliciter ha-
bet dare נתן sed res eodem recidit, qui enim dat alicui quod suū
est, is reddere propriè dicitur. Erasmus notat ἀπόδοτε & indicative &
impe-

Quid dan-
dum.

In regno
caelesti.

Cui.
Quomodo.
Quid dan-
dum.

Allegoria,

imperative posse verti, redditis & reddite, h. s. Redditis Cæsari quod il-
lius est, reddite & Deo quod Dei, sed 1. tum omnino in priori
membro legendum foret ἀποδίδετε. 2. non conveniret hæc re-
sponsio quæstioni propositæ. III. *Quid reddendum*, τὰ, Ellipsis usita-
ta scil. τὰ ὄντα τῶν λόγων ad Cæsarem pertinentia, sc. quæ pietati &
religioni nihil officiant; nam quod fidei ac virtuti obest, non Cæsari
sed Diaboli veltigal ac tributum est. Chrysof. Hom. 71. in Matth.

XXII. Pergit Christus ad regnum caeleste, tum ut tacitæ futuræ
objectioni responderet, tum ut tributum Dei & Cæsaris subordi-
nata non pugnantia esse ostenderet, tum ut eorum hypocrisin qui
tantum de terrenis solliciti erant, reprehenderet Ambros. l. 1. Epist. 1.
Cui dandum, Deus est. Quomodo, reddendo: omnia enim à Deo sunt.
Quid? τὰ τῷ Θεῷ Hieron. per ea intelligit in c. 22. Matth. decimas,
primitias quæ explicatio quæstioni propositæ videtur convenien-
tissima. Alii omnia quæ à Deo habemus ut Hilarius, Propper in Senten-
tiis August. c. 15. (Moneta Cæsaris aurum, moneta Dei homo) ima-
go Cæsaris reddatur Cæsari, imago Dei reddatur Deo, ita etiam explicat
Tertull. de idolat. cap. 15. Aut. op. imp. in Matth. Hom. 42. Aug Tr. 40. in
Ioh. Item in Psal. 4. Osorius super hoc Evang. sicut universa domus regia re-
gis est, sed cubicula illa in quibus ipse habitat præcipua ratione ejus esse di-
cuntur. Ita licet omnis creatura Dei sit, quia ipse omnes fecit, & in omni-
bus habitat, tamen cor & animam homini singulariter Deus possidet, quia sunt
veluti cubiculum regium quod ipse inhabitat. Quod si hoc exclusive acci-
pias, nec præsentis scopo nec rei ipsi (nam & corpora nostra sunt
Spir. S. templa) erit satis congruum.

XXIII. Allegorias hic varii varias texunt, ut quod anime &
corpori sua sint reddenda. Orig. Tract. 21. in Matth. Item quod Principi
hujus mundi diversæ malitiæ sint reddenda, antequam Deo, quod Dei est, red-
datur. Orig. l. d. Euthym. in cap. 22. Matth. Ambr. l. 9. in Luc. Recen-
tiores plerique hæc ad iudicium accommodant, ita ut in morte que-
ratur ostensio denarii, in iudicio interrogetur imago & superscriptio, in re-
tributione sequatur definitio, cui debeat tradi, cuius videlicet portat ima-
ginem. Sed de allegoriis in genere vera manet Regula, quod so-
briè iis sit utendū, in specie verò posteriores sunt duriusculæ dum-
per magistratum à Deo ordinatum Diabolum intelligunt, & qui
in literalis sensu Deo subordinatur, in allegorico eidem opponitur.

XXIV. τὸ

XXIV. τὸ ἐκείνῃ triplex in Antagonistῶν 1. admirantur, δαῦμα ἐστὶ τὸ ἐκείνῃ.
 earum rerum, quæ præter animi sententiam cadunt. 2. Christum
 deserunt, atque ita fatentur se superatos, 3. abeunt: debebant dilige-
 re Christum, sed convertunt id ipsi in odium & mendacium Luc.
 23. 2. Multum deniq; ex eo decessit ipsorum existimationi, multi
 e contrario eorum qui interfuerunt in fide sunt confirmati.

QVÆSTIONES EX HAC PARTE.

I. An Christo etiam secundum humanam naturam competat divina
 majestas? Divinæ majestatis est corda scrutari, 1. Reg. 8, 39. Jer. 17, 10.
 & ex omniscientia oritur; cum ergo Christus hic voce humana
 arguat latentem in corde hypocrisin; majestatem hanc etiam ei,
 quia homo est, competere. B. Hunnius colligit sic 1. eidem, qui se-
 metipsum non credebatur Judæis, tribuitur, quod omnes noverit Joh. 2,
 24. At prius Christo secundum humanam naturam competit.

2. Christus secundum humanam naturam judex erit in novissimo
 die, At tunc consilia cordium manifestabis 1. Cor. 4, 5. 3. Nullum es-
 set discrimen inter factum Petri, Act. 5, 3. & hoc Christi, si hu-
 manitas excluditur. Quod probe contra Calvinianos à divinita-
 tis propriis humanitatem plane separantes notandum.

II. An peculiaris sanctitatis sit pecuniam non attingere? Ita putant
 superstitiosi quidam Monachi, sed & Christus sanctissimus pecu-
 niam hic sibi inspiciendam jubet exhiberi, & Maria (qua sanctio-
 res Monachi nec verè nec etiam sua opinione erunt) aurum à
 Magis oblatum manibus tractavit, & per manum δια χειρὸς Barnabæ
 ac Sauli; Antiocheni fratribus subsidium miserunt Act. 11, 30. &
 pecuniæ per se donum Dei.

III. An cum libertate Christiana pugnet subiectio Magistratui debi-
 ta? Democritus Damasippi filius teste Epipha. in orat. de fide Cathol. &
 Apostolica Ecclesia ob libertatem naturæ; Iudæi, ob libertatem à Mose
 promissam; Libertini ob libertatem Evangelicam subjectionem
 detrectabant. Omnes hos refutat Christus, quædam, Cæsaris videli-
 cet, Cæsari danda asserens. Ille ex ordinis necessitate, imperiorum
 diversitate, omnium mundi partium conformitate, imperiorum
 utilitate, imperare & parere naturale esse agnoscere: isti ob pecca-
 tum privilegium amissum, ex Lev. 26. & Deut. 28. cognoscere: hi non
 rectè

rectè libertatem Christianam à se definiri animadvertere debuissent.

Libertas ergo Christiana, quæ à Christo provenit Iob. 8, 36. Galat. 5, 1. (de Libertinis enim fusius aliquanto agendum) 1. sumitur pro liberatione à malo Rom. 8, 1. Galat. 3, 13.) quod duplex culpa & poena, ab utroque duplex liberatio gratiæ imperfecta, gloria perfecta Rom. 8, 21. datur. 2. opponitur coactioni & hoc respectu liberati sumus per Christum tum à iugo legum ceremonialium & forensium Col. 2, 16. tum à traditionibus humanis 1. Cor. 7, 23. 3. opponitur obœdientiæ. (quam significationem planè hic rejicimus) sive legum tum naturalis, quæ imaginis divinæ reliqua scintilla, tum moralis, quæ æterna justitiæ divinæ regula & à S. Angelis & beatis observatur; sive magistratus & hanc Libertini urgent. Breviter aliud est ἡλευθέρωσις aliud Πανάλυσις Ἰης κακίας 1. Pet. 2, 15. Illa est N. Testamenti, & vel (si N. T. pro fœdere sumatur) liberatio à maledictione legis etiam Patribus V. T. competens, vel (si N. T. pro tempore sumatur) est liberatio à ceremonialibus & forensibus legibus; Hoc, est à Libertinis quaesita licentia, quam rejicimus I. quia pugnat cum jure naturæ, ut supra vidimus, at hoc in N. T. non est sublatum, II. quia pugnat cum Scriptura N. T. Christus jus Cæsaris hic confirmavit, est à Deo constitutus minister magistratus, cui oportet esse subditos propter conscientiam Rom. 13. & hoc admonendi sunt Christiani Tit. 3, 1, hæc enim est voluntas Dei 1. Pet. 2, 14. III. quia pugnat cum exemplis Christi Matth. 17, 27. Pauli Act. 25, 10. & totius primitivæ Ecclesiæ. Concludimus ergo, Evangelium Politias non abolere sed stabilire.

IV. An etiam impio & injusto Principi vi resistendum? Pontificem Rom. subditos cõtra legitimos Reges quandoq; armare inconfesso est. Econtrario 1. Christus Imperatori Ethnico Tiberio, crudeli parricidæ, imperii decoctori, adultero, scortatori, idololatræ, imò omnis nequitia & flagitii artifice non vi resistendum sed dandum asserit. 2. habent adhuc potestatem à Deo Pilatus Iob. 19, 11. Nabuchodonosor Dan. 2, 37. Nero Rom. 13. 3. generaliter sine exceptione improbitatis obœdientiam erga magistratum postulant S. Literæ 4. in specie duris Dominis, & qui præter meritum, imò ob beneficium malis afficiunt, nos subditos esse jubent, 1. Pet. 2, 18, 19, 20. 5. orandum etiam est pro malis & ethnicis Principibus, Ier. 29, 7. 1. Tim. 2, 2. 6. Eodem modo quis inferre posset,

posset, parenti impio non esse obtemperandum. 7. Accedit totius
primitivæ Ecclesiæ consensus.

Distinguit tamen *Arnis. de autoritate Principum &c.* (quem la-
tè vide) inter malum Principem & Tyrannum, huncq; duplicem vel titulo,
h. e. qui sine legitimo titulo potestatem acquisivit sive dolo, sive
bello (excipitur titulus legitimo bello acquisitus à populis invi-
tis & libertati injustæ assuetis) & huic non à subditis legitimis sed tum
ab extraneis *Jud. 4, 17, 21. ab injustè oppressis, Jud. 3, 21. 4, 6. 7. tum resi-*
tere licitum vel Exercitio, h. e. qui legitimo quidem titulo regnum
accepit, sed in administratione in Tyrannum degeneravit, & nunc
à subditis legitimè removeri posse asserit. Vitium verò, quod Ty-
rannum efficit, ab iis quæ pravū Principem efficiunt, discernit, &
non esse 1. imbecillitatem ingenii, alias etiam puer, & mulier succe-
dens, Ufias 2. Paral. 26, 21. Tyrannidis accusandi. 2. nec crudeli-
tatem injustam aliàs Saul 1. Samuel. 22, 17. potuisset impunè occidi
1. Sam 24, 3. Item David 2. Sam 11, 14. 3. nec tributorum severam
exactionem 1. Sam. 8, 14. 4. neq; idololatriam aut persecutionem veræ re-
ligioni, alias Nabuchodonosor Rex non fuisset Dan. 3. nec alia quæ-
vis delicta in privatos perpetrata, nec etiam unam vel alteram Tyrannicam
actionem, nec deniq; opus esse omnia vitia concurrere, sed à fine delumendū
esse asserit, nempe neglectum officii publici & destructionem Reipubl. d. l.
Sed cum I. Exempla ex sacris allata sint extraordinaria, ab extra-
ordinario Sp. S. impulsu oriunda, & sic regulam generalem non
constituant. II. II, quibus potestatem legitimam competere ex
Scripturis probatum dedimus, ab ipso *Arnisæo* pro Tyrannis talibus
habeantur, ut *Tiberius, Nero lib. dicto cap. 4. num. 10.* & *Nabucho-*
donosor ex censu Titulo Tyrannorum vix eximi queat. III. Quæ-
dam vitia in pravo Principe enumerata, præsertim persecutio, vel
destruant ipsa Reipubl. vel saltem destructionis Reipubl. sint cau-
sa. IV. Arnis. itidem concedat semper periculosam plerumq; no-
xiam esse Tyrannorum ejectionem. V. Hic de conscientia aga-
mus, quæ sine firmo fundamento Scripturæ, salva esse nequit. VI.
Particularia exempla ex particularibus, circumstantiis, quæ sem-
per variant, probe æstimatis sint dijudicanda, nos decisionē quæ-
stionis, si talis incidat casus, Theologis & Politicis acumine inge-
nii, dexteritate judicii, experientia & longo rerum usu præcellen-
tibus, relinquimus.

Malos Principes quod attinet, inter Principes distingvendum, vel enim sunt *Principes limitati* aut *per mixtos subditos*, quando videlicet ex subditis aliqui in partem potestatis sunt recepti; qui ob partem potestatis concessam, jure se Principibus opponere possunt: aut *per pacta*, [quando ad imperium non nisi sub certis legibus admittuntur, quibus nisi steterint, jure removeri illaesa conscientia possunt: vel sunt *Principes liberi*, qui sive electione, sive successione, sive legitimi belli jure, potestatem illimitatam acceperunt. *Prioribus* meri & quamdiu pacta servaverint, *posterioribus* nunquam, subditi salva conscientia vi resistere possunt, idq; efficiunt argumenta in medium superius allata.

Alii distinctionem *inter mixtos & meros subditos*, ita explicant: ut *illi* sint, qui *vicissim alios subditos habent*, quos defendere contra vim injustam, sive extraneorum sive superiorum teneantur; sed erga inferiores talis obligatio non debet nec potest constitui, quæ cum obligatione erga superiorem pugnet: nec subditi inferiores jus summi magistratus tollunt, aut efficiunt, ut alter, qui sua natura respectu superioris merus subditus est (loquimur de iis, inter quos nullum intercessit pactum.) amplius talis non sit, aliàs idem de quæstoribus, consulibus, dicendum foret.

V. *Quid si princeps eã, quæ Dei sunt, rapiat?* Distingvit Christus inter ea, quæ *Cæsaris*, & ea, quæ *Dei*: non sunt proinde confundenda. Quando ergo Princeps vel contra Deum vel contra honestatem, aliquid præcipit. 1. non est obœdiendum, quia obœdientia talis prohibetur à Deo Num. 22, 12. 2. Dei iram provocat Num. 22, 23. 3. Reprehenditur Num. 22, 32. 2. Pet. 2, 16. 4. Injusta est coram Deo Act. 4, 18. 19. 5. Oportet enim Deo magis obœdire, quàm hominibus Act. 5, 29. 6. Exemplo aliorum fidelium Exod. 1, 17. Exod. 2, 2. Hebr. 11, 23. 1. Sam. 22, 17. Dan. 3, 16. 6, 11. Act. 4, 18. 5, 29. (non ergo crimen læsæ Majestatis objici jure poterit iis, qui mandatis *Cæsaris de Pontificia capessenda religione non obsecundant*. 1. quia religio non est *Cæsaris*. 2. crimen læsæ Majestatis non committitur in vera religione assumenda, 3. crimen illud est in negotiis Politicis non fidei, 4. Idem Danieli, sociis & Apostolis objici potuisset.)

2. Nec tamen in his casibus, ut & quando aliquem tyrannicè persequitur, *Principi vi resistendum* (dum modo absolutam Monarchiam

marchiam habeat, aut non sub conditionibus & pactis, id, propter quod aliquem persequitur, contineatur) 1. pertineret enim ad vim privatam, quæ prohibita *Matth. 26, 52.* 2. resisteret ordinationi divinæ *Rom 13.* 3. Contrarium exempla piorum testantur. 3. *Supplicandum tum Deo*, ut Principem convertat, *tum Principi ipsi vel per aliorum intercessionem Esther 3. vel quocunq; modo fieri potest.*

4. *Aut fugiendum Exod. 2, 15. 1. Sam. 19, 10. 12. 1. Reg. 19, 3. Jerem. 26; 21. 2. Cor. 11, 33. aut patiendum.* Patientia enim Christianorum victoria & Deo vindicta relinquenda. Breviter; *contra Magistratum nos tueri non possumus nisi per appellationem vel ad superiorem magistratum; vel si supremus ad pacta, vel si illimitatus, ad Deum qui vindex erit.*

VI. *Num 1. Sam. 8. agatur de jure Regum, vel de facto Tyrannorum? Lutherus in Postill. domest. super XXIII. post Trinit. conc. 1. ea quæ Cesaris sunt, dicit esse jus illud regis, quod etiam 1. Sam. 8. describitur. Jam ea quæ Christus Cesaris esse dicit, Cesari jure deberi neminem negare posse putamus, Consentit Lyra super h. l. si de casu necessitatis nonnulla 1. Sam. 8. explicentur, approbat idem Strigel. super c. 8. lib. 1. Sam. c. 27. & imprimis latè probat VVaremund. ab Erenberg in verisimil. Theolog. Jurid. Polit. Dissentiunt alii fere omnes Theologi. Sanè rationes dubitandi afferuntur utrinq; gravissimæ. 1. Populum quidem alloquitur peccantem non regem; attamen servitia debita proponit, quorsum enim servitia præstarent, non debita? 2. *מַשְׁכָּל* regis quidem vocat, sed ea vox non tam consuetudinem 1. Sam. 27, 11. quàm jus & judicium notat. 3. Reliqua attributa, si de violentia & abusu ad luxum & privatum commodum accipias, injusta: sin de casu necessitatis & usu ad publicam utilitatem vel necessariam regiam sustentationem, prout conditio Reipub. sustinere potest, explices juxta. 4. Agros, vineas, oliveta, subditis auferre injustum; sed vel eadem refuso justo pretio, urgente imprimis publica necessitate: vel proventus ex iis sumere (sicut *v. 15.* semen & vineæ pro proventibus inde natis sumuntur) ad sustentationem militum & suorum, necessaria ex causa, injustum non est. 5. Servos ex subditis efficere injustum; at certo respectu subditi servi optimorum etiam Regum dicuntur. 6. Gemitus pauperum non sunt boni: verum nonnunquam non Princeps sed necessitas eos exprimit.*

Nostra breviter ita exponimus mentē : 1. Non describi Tyrannum exquisitè sic dictum, facile patet 2. nec etiam perversum Principem (nisi devolento abusu hæc omnia interpreteris, quod tamen haud facile ex textu monstrari poterit) 1. quia jus majestatis, quod sine his adminiculis consistere nequit, non est nota mali Principis. 2. quia legitime hæc quandoque a Principe postulari posse supra demonstratum. 3. Nullus quantumvis optimus Princeps facile monstrari poterit, qui non aliquid ex hisce, sine ulla tamen reprehensione fecerit. 3. Jus regis in subditos requirere, ut etiam si hæc rex injustè exigat, ipsi tamen reddant, nec si puri subditi vi resistant. 4. Non tamen est jus boni regis hæc extra casum publicè utilitatis & necessitatis postulare.

VII. An persona Ecclesiastica ab ordinaria potestate Politica exempta sint? Bellarm. l. de Clericis c. 28. affirmativam, etiam si leges civiles non servant, ex jure divino & humano provenire, asserit. Econtrario 1. Christus hoc loco Pharisæis Marc. 12, 6. qui ad Clerum pertinebant, quæ Cæsaris sunt reddere, jubet: & 2. Paulus Rom. 13. ei, cui tributum deberi hoc loco Christus asserit, omnem animam (Ergo nec Clerici excluduntur, Bernh. in Epist. 42. ad Archiepisc. Senonensem: Si omnis est, & vestra; Quis vos excipit ab universitate? si quis tentat excipere, conatur decipere. Chrysost. in cap. 13. Rom. in specie ad Sacerdotes eleganter applicat, quem vide.) subjectam esse debere asserit, quod scribit omnibus dilectis Dei inter quos & Præcones verbi continentur. 3. Exempla repugnant imprimis Pauli, qui non ad Petrum vel Papam, sed ad Cæsarem provocat, Act. 25.

VIII. An jure divino & humano introducta sit immunitas bonorū Ecclesiasticorū? Affirmativa placet Bellarm. l. d. nos ut eam ex liberalitate Principū ortā (excipiuntur tamen onera Patrimonialia & contributiones extraordinariæ &c.) dignè laudamus: ita simpliciter & absolute ex jure divino eandem deduci posse non videmus. 1. Si enim (ut plurimi Pontificii asserunt) quæstio hic fuit de dimidio siclo templo debito, quivis videt de bonis Ecclesiæ etiam Imperatores habere disponendi potestatem. 2. Ubiq; invenitur imago Cæsaris (h. e. terrena bona) ibi de illis Cæsari poscenti quod suum est, reddendum. Objicit Bellarm. cum filii regis liberi pronunciantur, etiam ipsorum familia libera esse solet? Resp. 1. argumentum à simili deductum infirmum, 2. revocet sibi in memoriam duas causas.

causas, ob quas pag. precedente Christum liberum asseruit, tum quia filius (naturalis, alias Christus prerogativam hanc præ reliquis piis non haberet) illius regis, cuius reliqui reges ministri, tum quia defensione vitæ corporalis non indigebat. Sed hæc duæ causæ in familia Christi expirant. 3. Num soli Clerici pertinent ad familiam Christi? 4. Denique cur non Papa sicut Christus, ne scandalizet alios, pro se suisq; tributum solvit?

IX. Quænam sit distinctio inter potestatem Ecclesiasticam & Politicam?
Cum Christus accuratè discernat inter ea quæ Cæsari, & Deo debentur: inter subjectionem quoq; distingvendum erit (cum debitum necessario subjectionem importet) videlicet *temporalem & spiritualem*, unde iure reatorum etiam duplex *potestas temporalis & spiritualis* surgit. Hæc potestas spiritualis immediatè Deo convenit; subjectionem vero sibi debitam non immediatè exigit; sed mediatè, non quidem primariò per potestatem Civilem, sed per potestatem Ecclesiasticam. Alia ergo *Potestas Ecclesiastica, alia Politica*; quæ duæ potestates ob pleniorè confirmationem & cognitionem hæctenus dictorum non sunt contundendæ.

Conveniunt 1. origine utraq; à Deo, idq; immediatè Ecclesiastica, Iohan. 20, 21. 2. Cor. 5, 19. 20. Politica, Proverb. 8, 15. Dan. 2. 21. Sap. 6, 4. Iohan. 19, 11. Rom. 13, 1. Licet modus utramq; adipsè scendi quandoq; sit mediatus, illic vocatio & ordinatio, hic vel electio vel successio vel donatio vel bellum. 2. *Dependentia à Deo & Relatione ad Deum*, utraq; enim ad Deum ratione potestatis immediatè iterum refertur. 3. *Fine ultimo*, qui gloria Dei. 4. *Quod ita distincta sit una ab altera, ut neutra alteri misceri debeat* aut queat, neutra ab altera dependeat. 5. *Mutuas tamen sibi invicem navant operas*, Politica tendit ad finem Ecclesiasticæ potestatis: hæc vicissim illius eger in hoc mundo patrocinio.

Differunt 1. *materia circa quam*, Ecclesiastica versatur circa animas, Politica circa corpora (quod non exclusivè sed de principali cura accipe: nec enim minister tacebit, si auditores scæda libidine corpus polluant: aut Princeps tantum erit armentarius, ventrè curans, sed providebit, virtuti & pietati ut subditi studeant, quin si alterutra potestas exorbitet, una ab altera corrigenda.)

2. *Materia in qua*, illius res divinæ spirituales cœlestes: hujus mundanæ, temporales, terrenæ Iohan. 18, 36. Rom. 14, 19. Matth. 20, 25.

3. *Mediis*

3. *Medius illi data à Christo claves regni cœlorum Matth. 16, 19.*
verbum & Sacramenta, vox data ei, qua si utitur, liberavit ani-
mam suam, *Ezech. 33, 3. 9. 3, 17. huic gladius Rom. 13, 4, 4. Actu*
proprio Luc. 22, 25. Reges gentium dominantur, vos autem non sic. 1. Pet.
5, 3. sed eorum est docere & baptizare Matth. 28, 19. 5. Fine. Eccle-
siastica potestatis finis vita æterna: qua ergo huic fini non inserviunt à
potestate Ecclesiastica sunt aliena. 2. Tim. 2, 4. nemo militans Deo implicat,
se negotiis secularibus: Politica finis tum felix cursus rerum tempora-
ralium, tum patrocinium & custodia Ecclesiasticæ potestatis, &
quicquid ad hunc finem non facit, non pertinet ad politicam potestatem.
Hinc videre est unam potestatem alteri non subjacere, sed homi-
nem hac vel illa præditum alteri potestati subjiciendum. Præditus
potestate Ecclesiasticâ subjicitur Politicæ potestati tum ratione bono-
rum temporalium, tum ratione diligentia vel negligentia in
functione sui muneris: vicissim in Politicâ potestate constitutus ha-
bet sese erga potestatem Ecclesiasticam, tum ut ovis in quantum
pellatur Cæsar in Recept. Imper. in Com. Aug. Anno 1530. S. Nach dem
aber vns) in quantum magistratus.

10. *Quousq; Politica potestas progredi possit, ne quod Dei est, rapiat? Ma-*
gistratus officium etiam circa Ecclesiam occupari diximus, probamus hoc
1. Scripturæ dictis Deut. 17, 19. Esa. 49, 23. 2. Exemplis. Ios. 18, 14.
1. Paral. 13, 2. &c. 3. Ratione: Magistratus enim debet tueri Rem-
publ. at propter falsam religionem Respubl. evertuntur. Hoc
magistratus officium à nonnullis vocatur potestas Ecclesiastica exter-
na, ad differentiam interne, de qua præced. quæst. actum. Ne verò
per hanc etiam internam invadat, accuratè dispiciendum est,
quæ ad hanc potestatem sint referenda. Duplicia verò ea sunt,
generalia videlicet & specialia. Generalia sunt, quæ non soli magi-
stratui sed etiam unâ toti Ecclesiæ conveniunt, 1. Ministrorum
vocatio, 2. Legum Ecclesiasticarum constitutio Ios. 3, 14. 1. Paral. 13,
2. 3. Hinc sequens Ceremoniarum mutatio 1. Paral. 13, 2. 13, 17. 1:
28, 13. 4. Bonorum Ecclesiasticorum distributio 2. Paral. 24, 8. 1. Paral.
31, 11. 5. Ordinis Ministrorum institutio 2. Paral. 31, 2. Specialia ma-
gistratui singulariter demandata, sunt exercitii religionis publicæ in-
quisitio, & Ecclesiarum inspectio. Finis est religionis veræ vel conservatio,
vel restauratio, hanc ut assequatur, duplicibus utitur mediis: universa-
libus

libus ad utrumq; finem tendentibus utpote. I. Conciliis, quæ con-
 vocandi jus habet, Ios. 23, 1. 2. Par. 24, 5. 2. Reg. 23, 1. &c. 2. Visitatio-
 nibus 2. Par. 17, 7. Calviniani ministrorū immodestia & petulantis lin-
 gua inhibitionē addunt, sed justum zelū in hæreses & vitia invehendi
 ministrorū inhibere, est quæ Dei sunt rapere; iis enim contrarium
 quæ Deus mandavit, singularibus ad collapsam restaurandā. I. Falsi &
 idolatrici cultus abolitione 2. Reg. 18, 4. 2. Reg. 23. II. Inquisitione 2. Reg. 10,
 18. (quod tamen Jehu singulare factum non simpliciter imitandū
 esse censemus: inquisitionem aliquam tamen, minimè Hispanicā,
 præsertim si hæresis cum blasphemia conjuncta aut ad seditiōnē
 spectat, fieri posse concedimus) III. Hereticorum coercitione. Ubi
 distingvendum inter statum Reipubl. pressum & liberum: in illo cogitur
 necessitati cedere magistratus, quia præstat aliquam habere Rem-
 publicā & paucos pios, quàm omnia evertere. In hoc non quidē ge-
 neralem persecutionē suademus, oriuntur enim hæc incōmoda, 1. pereunt
 qui successu temporis sanari poterant, 2. multi ex constanti hæ-
 reticorū pertinacia ad hæresin inflāmantur, 3. excitantur seditio-
 nes & cædes &c. nec tamen connivendum censemus, sed procedendū aliter
 cum hereticis, 1. facinorosis, 2. seditiosis, 3. blasphemis, 4. post admonitiōnē
 diæresin notoriā spargentibus: aliter cum simplicioribus hereticis credentib.
 censemus: in illos ob adhærentia vitia severè animadvertendum;
 Hos in N. T. verò ob solam hæresin non esse interficiendos (contra Cal-
 vinianos pariter & Pontificios) asserentes: tum ob prædictiones
 de propagatione mansueta doctrinæ N. T. tum quia mandato de
 interficiendis hereticis destituimur, tum quia ad fidem nemo po-
 test vel debet cogi, tum ob incommoda superius enumerata. Ita
 ergò cum illis agendum, 1. non permittendum hæresin spargere, 2. non
 concedendum publicè pravorum ritus exercere, ob hanc causam punitus fuit
 Salomon 1. Reg. 11, 7, 13. 3. Cavendum ne conversatione sua ceu morbida
 pecora alios inficiant. 4. Curandum, ut instituantur per ministros imò ut
 illos audiant cogendi. Urban. Reg. Dec. II I. Consil. Bidenbach. conf. 10.
 hūc ex Augustino dictum Luc. 14, 23. applicat. 5. deo instructi nisi
 ad sanitatem redierint, expellantur. Si inter hos cancellos manserit magi-
 stratus quæ Dei sunt Deo relinquit, Sin autem contrarium fecerit &
 vel quæ Dei sunt rapuerit, vel munia Sacerdotum exercuerit 2. Pa-
 ral. 26, 16. 1. Sam. 13, 9. vel his ipsis mediis ad veram religionem
 opprimendam usus fuerit, quid subditū faciendum Quæst. V. vidimus.



XI. An quis simul potestatem Ecclesiasticam & Politicam sustinere possit? Rectè Stapletonus in *Prompt. Cathol. Dom. XXII.* post Pentec. text. 2. ait Catholicam doctrinam, de distincta potestate Ecclesiastica & Politica, Christus hoc loco deserte docet. Et paulò post: Christus ita responderet, ut Spiritualem potestatem tam suam quam eorum quos missurus esset, à Regia ac Politica distinctam stabiliret: rectè hæc (licet minùs rectè postea ita Spiritualem potestatem definiat, ut eam etiam, quam præced. quest. ad Magistratum pertinere ex Scripturis adstruximus neget) sed videat quomodo Papam defendat utrunq; gladium gerentem, nos pro stabilienda Stapletoni sententia adducimus, 1. *Oppositionem tum Christi Luc. 21, 25. tum Pauli 2. Tim. 2, 4.* 2. *Exemplum Christi Iohan. 6, 15. Luc. 12, 14. Apostolorum qui regiam dignitatem non affectarunt, ut & Patrum in primitiva Ecclesia.* 3. *Incommoda varietas nam & unus utrumq; rectè expedire nequit. Exod. 18, 18. Num. 11, 14. Act. 6, 21. & exigua convenientia humilitatis ministerii cum maiestate imperii: & experientia in Papatu quotidie de iis restatur.* 4. *Pœnam Vsie 2. Paral. 26, 16. Saulis 1. Sam. 13, 9. ac ex iure reatorum utriusq; potestatis hic par ratio.* 5. *vnanimem Patrum consensum ubivis obvium.*

Catalogus quarundam propositionum erronearum collectus è Postillis Pontificiorum nonnullorum super hoc Evangelium.

- I. In sola anima imaginem Dei constituit, *Ofor. p. 862.*
- II. In Baptismo character Christi impressus indelebiter, *assertit idem p. 871. Coster. p. 393. f. A. S. 14.*
- III. Hic character tam indebiter hæret, ut in inferno durer in damna pœnam *Ofor. pag. 872.*
- IV. Quod missa non sit sacrificium sed sacrilegium, neq; Romanus Pontifex caput Ecclesiæ sanctæ sed verus Antichristus, quod honor sanctorum aut imaginum nihil aliud sit quam Idololatria, *recenset inter errores hæreticorum Cost. p. 386. f. B. S. 2.*
- V. Sanctus Franciscus auxilio interni Magistri (Christi sine externis mediis) sanctam religionem instituit. *Id. p. 388. f. B. S. 5.*
- VI. Christus dixit, quod Pastor Ecclesiæ sit S. Petrus & successores, qui in fide non errabunt, *Ibid. S. 6.*
- VII. Dat

VII. Deus dat unicuique gratiam secundum mentis ejus preparationem (Sap. 6.) Ibid. § 9.

VIII. Hanc Catholicam doctrinam tene, honora imagines atque in iis personam observa figuratam quam honorare debes, p. 393. f. A. §. 14.

IX. Mich. 6. Dominus requirit à te facere iudicium, corpus tuum moderatè alendo, & pro meritis castigando. p. 398. f. A. §. 15.



Ad

Dn. Respondentem.

Hoc erat officii (tibi scilicet una sacrorum
Cura:) Gerharde tui gentis fermenta Latina
Tollere, nec Christi per ovilia ferre pudendos
Squallores, multos retrò quibus illa per annos
Verba Dei quondam festis adscripta diebus
Resperfit, turpiq; frequens lutula vit abusu.
Muneris hoc Guilielme tui Leisere Parentis
Egregii Soboles generosa sub auspice tanto
Præsulis Ausonii dextra, pariterq; sinistra
Innumeras fraudes subvertere, solvere nodos
Et laqueos totum vecors quibus induit orbem.
Pergite Christiana duo fulmina, pergite gentis,
In Patrio dabitur merces uberrima cælo.

Wolfg. Heider M.

ALIVD



A L I U D.

HOc tibi basiolum mittit Sionæa virago,
Et tua Jordanidum labra vigore rigat.
In promptu causa es, Guilielme, quia hancce
celebras

Illius atq; tuo labra vigore rigas.
Ergò tibi has voces benè nunciat, Euge capeſſes
Pro CENSU hoc censum, dignum animo
usq; tuo.


Dixit & has chartas inclusit cellæ & ad arcem
Fama ubi sede sedet, Gloria & alba, tulit.

ab, optatissimo amico

M. Christophorus Stöltzer



DISP. III





00 A 6341

ULB Halle
002 919 516


3




1002

Reise ✓







15

PLICATION
ἑλεγκτικὴ
lii Domin. XXIII.

post Trinit.

RÆSIDE

Dn,

NE GERHARDO
RE ET PROFESSORE
THEOLOGO

Suo

*o, Praeceptore & Affine
honorando*

Ad disputandum proposita

à

LHELMO LYSERO.

Ad diem II. Novemb.

ANNO M. DC. XVI.

JENÆ

is TOBIAE STEINMANNI.

